UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thronus Dei Maria Deipara

Spinelli, Pietro Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1696

De primo beneficiorum genere, quod est se invocantibus opem excitat, ibid.

urn:nbn:de:hbz:466:1-46853

Visual Library

magna conditoris noſtri diſpenſatione fit, vt per minima, quæ percipimus, ſperare maiora debeamus.

x. Alij rudi, vel hebeti ingenio eiuſdem Virginis dono ad ſummam ſcientiam, atque eruditionis apicem peruenêre.

xi. Alij in atrociſſimis, quos Chriſti nomine ſubibant cruciatibus, cùm Deiparæ nomen implorassent, eximia animi fortitudine, atque conſtantia immoti perſtitêre.

xii. Alij denique alijs, quæ percenſeri numerando non poſſunt, affecti ſunt beneficijs: quæ à prædictis diuerſa, multitudine plurima, magnitudine ſunt ingentia. Hæc verò quæ recenſuimus ſua cuique generi exempla ſubijcientes eodem ordine confirmabimus.

Omnis generis beneficia.

VARIA BENEFICIORVM

exempla, quibus Deipara ſuam erga nos benignitatem declarat, & noſtram in iſdem, alijsq; rebus in ſe fiduciam excitat.

De primo beneficiorum genere, quod eſt ſe inuocantibus opem impertire.

S. CATHARINA SVEDA SINGVLAS

actiones breui ad Deiparam precatiuncula auſpicabatur ex vita eiuſdem.

S. Catharina Sueda Deiparam inuocabat.

SANCTA Catharina virgo ex Suetia S. Brigittæ filia maternæ pietatis hæres, atque imitatrix, magnam ſibi in Deipara fiduciam collocarat; ideoque in ſuis rebus ad eam confugiebat: cùm enim de rebus ſpiritualibus conſuleretur, opem Deiparæ implorabat, vt eſt in eius vita cap. 16. apud Surium tom. 2. ſalutationem namque Angelicam tunc temporis tacitè ſecum ſemel recitare ſolita erat, idque non ſine fructu, quod cernere licuit in quibuſdam mulieribus, quæ eiuſmodi conſilijs ab ea traditis obtemperantes, ab infeſtiſſimo dæmone ſunt liberatæ. Cùm verò ex vrbe patriam repeteret, domeſticorum quendam è curru lapſum, ac rotis incurrentibus in coſtis vſque adeò attritum, vt ægrè animam duceret, ſanctiſſima Virgo Catharina ſalutatione Angelica ſuo more recitata, & quaſſato hominis latere leuiter contrectato, incolumitati adeò reſtituit vt eodem die quolibet lætus diſcurreret. hæc in eius vita cap. 17.

Surius to. 2. 22 Martij.

Mulieres quædã per ſalutationem angelicam à dæmone liberatæ.

Salutatione angelica ægrotus ſanatur.

De ſecundo beneficiorum genere, quod eſt ab hoſtibus inuiſibilibus, & viſibilibus tutari.

COMPLVRES AB INVISIBILIVM, ET

viſibilium hoſtium impugnatione Deiparæ inuocatione liberati.

ADOLESCENS quidam ſpiritu fornicationis vehementer impugnatus, cùm Eremitæ cuiuſdam conſilio in honorem Deiparæ, quotidiè in templo ſalutationem angelicam centies recitaret, adiunctis totidem venijs, poſt aliquod tempus à Deipara ab ea tentatione liberatus, ad cœleſtes nuptias euocatur. Cæſarius lib. 7. cap. 34.

Adoleſcens ſalutatione angelica à ſpiritu fornicationis liberatur.

Cæſarius.

Quomodò etiam Deipara à ſancta Iuſtina virgine, & martyre inuocata, eodem fornicationis ſpiritu acriter impugnatam liberarit, ſupra cap. 24. ex Nazianzeno retulimus.

Cap. 24.

B. Henricus Suſo Ordinis Prædicatorum qui annum Domini circiter 1350 claruit, cùm Satanam nigro vultu, & igneis oculis arcum manu vibrantem acriter increpaſſet, quod quendam fratrem ignea ſagitta contorta penè mutuum deieciſſet; cumq; ipſum eadem ſibi ferociter minantem, ac nouum in ſe parantem iaculum conſpexiſſet, Deiparæ opem implorauit his verbis: *Nos cum prole pia benedicat Virgo* MARIA: quibus pronunciatis hoſtis infeſtiſſimus protinus abceſſit. hæc apud Ferdinandum Caſtilium p. 2. Chron. S. Dom. lib. 2. cap. 18.

Matrem inuocans B. Henricus Suſo à dæmonis liberatur.

Chron. S. Domin.

B. Iacobus de Marchia ab importunis diabolis diu multumq; vexatus, Lauretum, certiſſimum malorum leuamentum accurrit; ante aram Virginis non ſine animi angore, ſacris operatus, expertum eius auxilium expoſcit: finem tandem orat tam moleſto, perculoſoque certamini. Auditæ preces; impenſius oranti B. M. ſe rurſus oſtendit: *Es bono animo ô fili*, inquit, *ac ſummo rerum Parenti grates agito adeſt pugnæ finis, & te cœleſtis corona victorem manet*. prædictionum comprobauit euentus Haud ita multo poſt fractæ infeſtorum hoſtium vires, læta repente ſecuta pax: ipſe deinde cœleſti præmio donandus, euocatus in cœlum. Turſellinus lib. 2. hiſtoriar. Laur. cap. 2.

à dæmonum moleſtijs B. Iacobus de Marchia Lauretanæ Virginis ope liberatur.

Turſellin.

Mulier